Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

~~60~~ 61

ante altare domini stare. Sed et hoc nisi aliquis omni diligentia custodierit cor
suum de cupiditate laudis oritur. Videas plerosque quod et iam Tullius ait.
libros suos de contemnenda gloria inscribere. et propter gloriam nominis
sui titulos prenotare. Interpretamur scripturas saepe vertimus stilum
quae digna lectione sunt scribimus. et nisi Christi causa fiant sed memoriae in
posteros et famae in populos. totus labor irritus fiet. et erimus quasi
tympanum sonans aut cymbalum concrepans. Videas plerosque de scrip
turis inter se contendere et athleticum scamma de facere sermone.
invicem provocant. et si victi fuerint invident. inanis quippe gloriae cu
pidi sunt. Scio in latinis codicibus in eo testimonio quod supra posui. si tradide
ro corpus meum ut glorier: ardeam habere pro glorier. Sed ob similitudi
nem verbi quia apud grecos ardeam et glorier: id est. kayaн comai et ka
yeн comai. una litterae parte distinguitur apud nostros error inolevit.
Sed et apud ipsos grecos exemplaria sunt diversa. Fratres. et si praeoccupatus fu
erit homo in aliquo delicto. vos qui spiritales estis instruite huiusmodi in
spiritu mansuetudinis considerans te ipsum ne et tu tempteris. Sciens
paulus clementem deum esse et eum cultorem qui nollet mortem peccatoris sed peniten
tiam. et excepta trinitate omnem creaturam licet non peccet tamen posse
peccare. eum quoque qui spiritalis est cohortatur sui timore ne peccet manum porri
gere corruenti. Et pulchre praeoccupatum in delicto hominem vocat qui
mori possit et ipso nomine fragilitatem conditionis ostendens ut dignus
sit venia qui velut homo errore deceptus et mersus in voragine se ipsum
sine auxilio et adiutore erigere non possit. Spiritali autem non addidit homo
sed quasi de eo praecipitur ut hominem praeoccupatum in delicto instruat.
sive ut melius habetur in greco. perficiat in spiritu lenitatis. Qui autem perficitur
non ei desunt universa sed aliqua. Denique non peccatis pluribus sed vitio aliquo
praeoccupatus erravit. Lenitatis spiritum et mansuetudinis in correctio
ne peccantis spiritalis adhibeat. nec rigidus nec iratus et tristis cor
rigere cupiat errantem. sed provocet eum spondens salutem veniam repromit
tens Christi testimonium proferat quod gravi legis et peccatorum onere de
pressos ad iugum suum suave et leve invitet onus. ut discant quia
humilis est et mitis et mansuetus corde et inveniant requiem ani